



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Einhamense Monasterium, ad Scaldim fl. apud Aldenardam Flandriae
opidum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

CAPVT LXV.

*Monasterium S. Crucis, iuxta Aretium Italiae
opidum.*

1060.

Monasterium S. *Andreae de Anellana*, quod nunc S. *Crucis* dicitur, institutum est à *Ludolpho*, qui ob morum simplicitatem *Columbinus* vocabatur. Atque hinc originem sumpsit Congregatio *Columbae*, circa annum Christi 1060. à dicto *Columbino* sic dicta. Produxit ea multos insignes viros, ut *S. Petrum Damiani*, *Guidonem Aretinum*, *Guimundum* & alios.

CAPVT LXVI.

EINHAMENSE

*Monasterium, ad Scaldim fl. apud Aldenardam
Flandriae opidum.*

An. 1063.

Huius originem ita describit *Meyerus* in *Flandriae Annalibus*: Anno *CI^o. LXiiij.* constructum à *Balduino Pio*, *Flandriae Comite* monasterium *Einhamense*, illique attributum castellum *Einham*, eadem, quae ipse ab *Hermanno Montensium Comite* acceperat, libertate permanente tamen eius loci patrocinio apud *Comites Flandros*. Institutus est ibi primus *Abbas Vvalterus*, ex

cceno-

coenobio diui Vedasti accitus. Ita Meyerus.

At verò monasterium istud longè antiquius, idemque à clericis, seu Canonicis regularibus primo inhabitatum testatur Chronographus Cameracensis, his verbis: Est locus super Scaldim fluuium, quem dicunt Iham, vbi modè his temporibus honorabilis vir Comes Godofridus & vxor sua Mathildis, matrona videlicet memorabilis (erat enim suum prædium suis vsibus oportunum) castro quidem munito nauigium, mercatum, teloneum, ceteraque negotia statuerunt. Infra castrum verò monasterium in honore sanctæ Mariæ, deputatis Canonicis, fundauerunt. Extrà autem Herimannus filius duo monasteria struxit, vnum sancto Laurentio, alterum verò sancto Saluatori. Nunc igitur locus, vtpote nouiter instructus, ex omni sufficientia floret, & tamè esset vberior, nisi crebro hostili incurfione quateretur, quod maximè ab inimicis Dei patitur, pro stabilitate regni & fidelitate Imperatoris. Haftenus ex Chronico Cameracensi, quod desinit ad annum Christi millesimum tricesimum.

DE Einhamensis, siue, vt veteres appellant, Eihamensis castri antiquitate atque excidio, haud abs re fuerit commemorare, quæ in manuscripto Sigebertini Chronici exemplari Lipsiano leguntur:

Anno CIO. v. mortuo Othone Duce, Du-

S

catus

Consula &
Sigeberti
Chronico à
nobis cum
MSS. exem-
plaribus
collatum.

An. 1030.

An. 1005.

catus Lotharingæ datur Comiti Godefrido, filio Godefridi Ardennensis. Iste Dux Godefridus dictus est Eihamensis. Erat autem Eiham opidum & castrum munitissimum, & sedes principalis Ducatus regni Lotharici. Qui Dux Godefridus duxit Mathildem, filiam Herimanni Ducis Saxonum, filiam relictam Baldeuini Comitis (Flandriæ) qui erat filius Arnulfi Magni Marchionis (Flandriæ) De qua idem Godefridus genuit tres filios Godefridum, Gozcelonem, Hezcelonem. Hezcelo Comes, post mortem Ducis castrum Eiham cum prouincia Brabantensi suscepit, & diu tenuit. Hic enim genuit filium nomine Herimannum, & filiam nomine Berthildem, qui dum adhuc iuuenes essent, defuncti sunt, & in Ecclesia apud * Felsekam sepulti: qui postea multis miraculorum signis claruerunt, sed à Viridunensibus monachis furtiuè ablati sunt. Alteram quoque filiam tradidit nuptui Regineri Montensi Comiti, simul cum tota prouincia Brabantensi. Deinde cum omnia sua ad votum ordinasset, relicto in manus Regineri castro & Comitatu, apud Verdunum effectus est monachus.

Anno CIO. XXXIIJ. in diebus Ragineri Longicolli traditum est fraudulenter castrum, quod dicitur Eiham, & datum est Baldeuino Barbato, qui castrum funditus destruxit.

Anno CIO. LXIIJ. cœnobium Einhamense
à Bal-

*Herimannum Godefridi & Mathildis filium nominat Chronographus Camera-censis, cap: 26. à nobis citatus.
* De Velsica vide Marchant Flandriam Lib. 1.*

An. 1033.

à Baldeuino Comite, & Athela Comitissa
Constructum est.

Anno CIO. CXXXIX. deiecta est vetusta
Eihamensis Ecclesia, & incepta est noua à
Snellardo Abbate.

Einhamense porrò monasterium multa in a-
gro Antuerpiensi, nominatim in vico Turnino,
vulgò Duerne, olim pradia habuit, quæ Antuer-
piense S. Michaëlis cœnobium, ordinis Præmon-
stratensis, titulo permutationis siue emtionis,
nunc possidet. Ex quo videri fortasse queat, Tur-
ninenses S. Fredegandi monachos, quorum cœ-
nobium, circa annum Christi octingentesimum
octogesimum secundum, à Normannis vastatum
tradunt, ad munitum Einhamense castrum ali-
quando aut confugisse, aut domicilium collo-
casse.

An. 882.

De S. Fredegando, eiusquæ apud Turninum
monasterio, Molanum lege in Natalibus Sancto-
rum Belgij.

17. Julij.

ALCIACENSE S. SILVINI

Monasterium, apud Hesdinum Artesia
opidum.

AQVO cœnobium istud sit inchoatum, non-
dum certò comperi. Loci antiquitatem ex
eo colligas, quòd S. Siluinus Episcopus (cuius no-
men Martyrologij Romani tabulis, ad diē XVII.
Febr. est adscriptum) in Alciaco obiisse legatur

An. 715.

Cœnia ho-